

tivam, vel defunctorum. Sac. Congr. Rit. de mense Martii 1631, respondit « non posse prætermitti conventualem. » (72. Et sic jam fuerat decisum in una Sarnen. cum enim Canonici cathedralis Sarnensis ex conventionem cum Episcopo a nonaginta annis inita consuevissent singulis hebdomadis tres Missas canere, videlicet feria secunda pro defunctis, feria quarta de Angelis, et feria sexta de S. Cruce, Episcopus successor eos compellebat ad canendum quotidie Missam conventualem præter supradictas; sed cum Ecclesia extra habitationes, et in loco insalubris cœli sita esset, et in ea vix decem exstarent Canonici, quorum sæpe aliquis ægrotabat, præterquam quod curam habebant animarum; ideoque petissent benigne secum agi, ut ad dictam Missam conventualem non tenerentur nisi in diebus festis, die 9 Novemb. 1613 Sac. Congr. Concilii « censuit quod petitur non concedendum. »

(73. In cathedralibus et collegiatis non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis ob celebrationem capituli Canoniorum. Sacra Congr. Rit. 16 Maii 1626. (74. Missa defunctorum cantari debet a Canonici juxta legem foundationis, etiam in illis diebus in quibus ex præscripto Missalis cantantur alia Missa pro defunctis, ut decrevit Sac. Congr. Concil. in una Ipre. Cum enim in insigni colleg. S. Petri Casalensis Ipre. diœcesis essent fundata tria beneficia, quorum possessores soliti erant per totum annum vicissim cantare Missam pro fundatore dictæ Ecclesiæ, et aliis defunctis, dictaque Missa, et vigiliæ defunctorum decantari consuevissent in choro, quando officium fiebat de feria, vel festo simplici; quidam Canonici dictæ Ecclesiæ sub prætextu, quod in Missali Romano caveatur, ut prima die eujuslibet mensis, et secunda feria eujuslibet hebdomadæ non impedita in collegiatis Ecclesiis dicantur duæ Missæ, una pro defunctis, et alia de feria, seu festo simplici, prætendebant satisfieri dictæ foundationi, si Missæ, ut præfertur, cantari solitæ, demissa voce legerentur. Unde cum quæsitum esset, an satisfaceret, vel potius obstaret cap. 5, sess. 25, Sac. Cong. Conc. censuit Missas cantandas esse juxta earum foundationem. (75. Nec propter anniversarium, seu aliam Missam defunctorum potest omitti Missa conventualis cantanda de die, seu de officio corrente. Sac. Rit. Congr. 28 Augusti 1628. (76. Canonici pro Missa conventuali, quam quotidie celebrare, et sacrificium pro benefactoribus, et fundatoribus applicare tenentur, nullatenus possunt aliam eleemosynam recipere, non obstante contraria consuetudine, nec tenuitate reddituum. Sacra Congr. Concil. in una Elven. die 4 Maii 1646, ad cap. 2, sess. 25 de Reformat. in una Civitatis Castellane 4 Martii 1690, in una Hidrunt., 1 Martii 1692, in una Cathacen., 29 Novembr. 1698, et tenet solide Pignatell. tom. I, consult. 321; Monacel. part. 1, tit. 2, formul. 4, num. 27. Vide verb. *Missæ*, art. 3, num. 11, ubi ad id affertur novissima dispositio Benedicti XIV. (77. Pro hujusmodi Missa

conventuali debetur Canonici distributio ex Massa communi. Sacra Congregat. Concil. in dict. Elven. die 23 Februarii 1647, et tenet Pignatell. tom. I, consult. 322.

(78. Canonicus, qui Missam solemnem celebrat die Dominico, tenetur officium vesperearum facere eodem die post prandium, non obstante quacunque contraria consuetudine. Sacra Congr. Rit. in Esina 25 Januarii 1605. (79. Canonicus, vel alius Sacerdos, qui celebrat Missam conventualem in qua chorus tenetur cantare Symbolum, non potest illam prosequi eo tempore quo a choro cantatur Symbolum prædictum. Sac. Congr. Rit. 17 Decembr. 1695. (80. Non est facienda altaris thurificatio in Missa conventuali dierum solemnum, si absque cantu, et ministris celebretur. Sac. Congr. Rit. 22 Januar. 1701. (81. Canonicus Missam celebrans in Ecclesia, vel ex devotione, vel ex obligatione, tempore, quo cantatur una hora in choro, non dicitur interfuisse illi horæ, nec illius distributiones accipere potest, nisi in illa hora ad celebrandam Missam ab eo, ad quem pertinet, compulsus et jussus fuerit. Sacra Congregatio Concil. in Callien., 29 Julii 1628, in respons. ad 4; et in Oriolen., 27 Martii 1632, in responsion. ad 12. (82. Canonici Missam celebrantes coram Episcopo, non debent sedere in sede cum postergali, sed in scamno oblongo, tapeto, vel panno cooperto, in latere Epistolæ. Sacra Congr. Rit. in Turritana, 19 Maii 1614. (83. Canonici et dignitates tenentur per seipsos divina officia obire, nec non Missas majores canere illis diebus quibus ad eas decantandas obligati sunt. S. C. Concil. in Segobien., 21 Julii 1590. (84. Canonici, et dignitates in decantatione Missæ, Evangelii, Epistolæ, et in functione similium debent per seipsos subire et exercere munera incumbentia et adnexa. Quod si aliqui legitimo impedimento detenti, ea per seipsos adimplere non potuerint, tunc alios, ejusdem tamen ordinis, et gradus, non autem inferioris, dignitates nempe alias dignitates, Canonici alios Canonicos, et portionarii respective portionarios in sua quaque hebdomada, ne graduum et ordinum prærogativæ confundantur, deputare debent. Sac. Rit. Congr. in Abulen., 18 Maii 1602. At hoc non videtur observari, quia passim dignitate aliqua impedita, celebrant pro ea Canonici, et alii ministrant, sicuti ministrarent dignitati, et admittunt ipsa decreta S. C. R. in Mediolanen., 16 Maii 1642. Bellocastrans., 11 Junii ejusdem anni, et in Tarvisina, 26 Augusti 1643. (85. Missas pontificales celebrare, absente Episcopo, pertinet ad primam dignitatem, vel ad antiquiorem Canonicum, non autem ad Canonicum hebdomadarium. Sacra Congr. Rit. in Tarentina, 10 Januarii 1597, et in Vallisoletana, 11 Junii 1606, et in Pisaurien., 21 Martii 1609. (86. Si vero sit consuetudo immemorabilis quod ad Canonicum hebdomadarium, vel ad Archipresbyterum, licet non sit prima dignitas, vel ad aliam dignitatem hujusmodi functiones spectent, servanda est consuetudo quæ

non tollitur per cæremoniale. Sac. Rit. Congr. in Asten., 25 Jan. 1602, et in Hidruntina, 30 Jan. 1616, et in Monopolit., 3 Sept. 1616. (87. Canonico solemniter celebranti pro Diacono et Subdiacono inservire debent pariter Canonici, non obstante immemorabili contraria consuetudine, quæ potius est abusus et corruptela. Sac. Cong. Rit. in Calaguritana, 7 Septemb. 1593, in Ceneten., 14 Febr. 1615, in Colonien., 31 Martii 1629, et in Sarnen., 4 Martii 1638, ubi declaravit: « Canonico, solemniter celebranti pro Diacono, et Subdiacono inservire debere pariter Canonicos, non autem Capellanos, non obstante immemorabili contraria consuetudine allegata, quæ venit prius formiter probanda; » et subjunxit: « Canonico solemniter celebranti pro Diacono et Subdiacono inservire debere Canonicos habentes præbendam diaconalem, et subdiaconalem. » Et in Alexandrina 17 Maii 1719, ubi per Eminentiss. Cardinalem Gabriellum proposito dubio: « An Capellani Capellaniarum erectarum in Ecclesia cathedrali Alexandrina vigore dispositionis quondam Canonici Pomesani teneantur inservire in officio Diaconi et Subdiaconi dignitatibus, vel Canonici ejusdem cathedralis celebrantibus in casu, etc. » ab eadem Sac. Rit. Cong. responsum fuit *Negative* cum addito, ut causa amplius non proponeretur. Sic refert Ursaya tom. VIII, part. II, discept. 26, ubi per totum egregie id probat adductis solidis rationibus, et pluribus aliis ejusdem Sacræ Congreg. Decretis, et signanter in Syontina, 8 Martii 1631, in Clusina, 20 Aprilis 1641, in Brundusina, 7 Decembris 1638, in Tolentina, 7 Aprilis 1698, et in Nucerna Paganorum, 25 Januarii 1698, ubi declaratum fuit quod Diaconus et Subdiaconus inservientes Canonico celebranti debeant esse etiam Canonici sive juniores, sive antiquiores sint ipso Canonico celebrante, et non alii inferioris ordinis, non obstante quod in aliqua cathedrali non sint distinctæ præbendæ in sacerdotales, diaconales, et subdiaconales, uti in cathedrali Alexandrina, in cit. Nucerna Paganorum, ac variis aliis; et etiam non obstante contraria consuetudine, quæ potius abusus est et corruptela; vide ibi, num. 75.

(88. Dignitas prima, si velit functiones episcopales facere, debet etiam Missam canere; alias pertinent ad subsequentes cum eadem conditione. Sac. Congr. Rit. in Aretina, 30 Januarii 1612, in Tirasonen., 1 Martii 1614, et in Neritonen., eodem die et anno. (89. Dignitas prima, quæ vult portare Sanctissimum Sacramentum in processione, absente Episcopo, debet Missam cantare; quod si noluerit, debet Sanctissimum Sacramentum portare ea dignitas, vel Canonicus, qui Missam celebraverit. Sac. Congr. Rit. in Baren., 19 Januarii 1608, et 23 Martii 1709 in respons. ad 4, teste Ursaya tom. II, part. I, discept. 20, num. 19. (90. Nec convenit, quod prima dignitas celebret Missam

(1) Proposito dubio: An Canonici valeant celebrare Missas privatas tempore, quo Episcopus solemniter celebrat, vel concionatur, respndet Auctor allegans resolutionem Sac. Congr. Conc. in una

ante processionem SS. Sacramenti, et deinde altera dignitas minor gestet illud in processione. Eadem Sac. Congr. Rit. 30 Junii 1632. (91. Canonici non suppleant vices protonotariorum, et aliorum inferiorum, sed bene vices dignitatum. Sac. Rit. Congregat. in Milevitana, 3 Junii 1617. (92. Canonici et dignitates, quæ habent adnexam præbendam cum onere cantandi Epistolam, sive Evangelium, non tenentur ministrare inferioribus. Sacra Congregat. Rit. in Salmantina, 10 Januarii 1604. (93. Canonici non sunt cogendi ad cantandam Epistolam, vel Evangelium, quando alius Canonicus, seu dignitas celebrat, nisi quando præbendæ sunt distinctæ. Sacra Congr. Rit. in Tarentina Crypsolitarum, 7 Septembr. 1605. (94. Canonici, qui habent præbendas diaconales, vel subdiaconales, tenentur ministrare et inservire dignitatibus et aliis Canonici quando Missas celebrant solemnes, vel Vesperas. Sacra Congr. Rit. in Bituntin. 9 Februarii 1608. (95. Canonici, Diaconi et Subdiaconi in quibusdam solemnitatibus, etiam non celebrante Episcopo, cogi possunt ad cantandam Epistolam, et Evangelium, non obstante quocunque prætextu, vel consuetudine in contrarium. Sacra Rituum Congregat. in Januensi, 29 Decembris 1602. (96. Canonici tamen non tenentur, nec debent cogi ministrare in officio Diaconi vel Subdiaconi Mansionariis, et aliis inferioribus Presbyteris celebrantibus, non obstante consuetudine. Sac. Congr. Rit. in Hispalen., 10 Januar. 1601, in Cadicen., 23 Novembr. 1602, et in Materan., 5 Julii 1614. (97. Assistentia, quæ fit ad Missam et Vesperas, debet fieri cum pluviali. Sac. Rit. Congr., 3 Augusti 1602. (98. Canonici tenentur inservire pro Diacono, et Subdiacono dignitatibus ac eorum Coadjutoribus solemniter celebrantibus, non obstante contraria consuetudine. Sac. Cong. Rit. in Clusina, 20 Apr. 1641, in Brundusina, 7 Dec. 1655, in Casalen., 28 Jan. 1690, in Tolentinaten., 7 Apr. 1696, et in Neapolitana, 25 Jan. 1698. (99. Et non tantum Canonici juniores, sed etiam antiani et antiquiores. Sac. Congr. Rit. in Nucerna Paganorum, 25 Jan. 1698. (100. Dignitates vero nunquam debent Canonici celebrantibus inservire. Eadem Sac. Congr. Rit. in Gerunden., 3 Octob. 1699. (101. Circa Missas privatas, an possint Canonici eas celebrare tempore quo Episcopus solemniter celebrat vel concionatur, exstat decisio Sac. Congregationis particularis deputatæ a Clemente XI in una Casalen. pro resolutione variorum dubiorum, inter quæ erat dubium 18, ut sequitur: « Decimo octavo: an Canonici valeant celebrare Missas privatas in Cathedrali tempore quo Episcopus celebrat solemniter vel concionatur; » die 11 Martii 1708, censuit ad 18 tempore celebrationis servandum esse Statutum Ecclesiæ; tempore vero concionis negative. (1) Et hæc decisio et resolutio fuit a Sanctissimo per

niter celebrat, vel concionatur, respndet Auctor allegans resolutionem Sac. Congr. Conc. in una

Breve confirmata, ut refert Eminentissimus Petra tom. III comment. ad Constitut. 1 Nicolai III, num. 17, et comment. ad Constit. 1 Urbani IV, n. 16, qui dicit se (dum erat Secretarius Concilii) fuisse deputatum Secretarium dictæ particularis Congregationis habitæ una cum illustrissimis et reverendissimis DD. Nuntio Archiepiscopo Nicæno, et Secretario S. C. Episcoporum et Regul. Inghirami Secret. S. C. Rit. et Marefusco Secret. S. C. Immunitatis, coram Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali Josepho Vallemano.

ADDITIONES AUCTORIS.

(102. Contra Canonicos non residentes ultra amissionem distributionum quotidianarum potest Episcopus procedere per multas pecuniarias atque alio juris remedio ad residendum ipsos compellere. Sic expresse Sacra Congr. Concil. in Jadren., vulgo Zara, 17 Sept. 1610, ibi: « Sacra, etc. censuit, non inservientes Ecclesiæ, nec divinis interessentes ultra amissionem distributionum quotidianarum, posse ab Archiepiscopo per multas pecuniarias, atque alio juris remedio compelli. » Et idem respondit in Castellatenen., 7 Junii 1639, et sæpe alibi.

(103. Quoad residentiam Canonicorum advertendum est, quod aliquibus peculiaribus Canonicorum Capitulis, vel ratione paupertatis reddituum, vel consuetudinis, attento etiam numero Canonicorum, aliorumque inservientium, solet quandoque concedi Indultum assistendi choro, aliisque functionibus per mediarias, id est per mediam partem ipsorum vicissim, ut in Sanctæ Severinæ, in qua ad propositum dub. « An omnes Canonici, et Clerus Cathedralis Ecclesiæ S. Severinæ, vigore donationis expletæ per bonum mem. Archiepiscopum Berlingerium teneantur quotidie intervenire servitio Ecclesiæ, seu potius sit indulgendum, ut possint alternative, et facta divisione per turnum, et hebdomadam interesse eidem servitio, exceptis temporibus Adventus, Quadragesimæ, Rogationum, aliisque Vigiliis, et omnibus diebus festis in casu; » S. C. Concil. die 13 Jul. 1723 respondit: « Esse indulgendum alternative cum solitis clausulis; » apud Theaurum Resolut. tom. III, in d. S. Severinæ.

(104. Et quamvis in Cathacen. servitii chori eadem S. Congregat. improbasset consuetudinem Capituli Cathedralis inserviendi choro per tertiarias, id est quod singuli inservirent una ex ternis hebdomadibus in turno per totum annum, respondendo Negative ad dubium die 25 Novembr. 1698, ei propositum: An liceat Capitularibus inservire per tertiarias in casu, etc., tamen reposita causa die 5 Septembris 1699, ad instantiam ejusdem Capituli sub consueto dubio: « An esset standum, vel recedendum a de-

Casalen. Servandum esse statutum Ecclesiæ. Verum hanc resolutionem non tanquam legem generalem esse accipiendam, sed duntaxat uti municipalem, ex eo deduci videtur, quod negativa sententia communis sit, atque innitatur tum can., Et hoc attenden-

cis, Sacra Congregatio stetit in decisio, sed attenda tenuitate reddituum, censuit, ex gratia indulgendum esse, prout benigne indulsit præfatis Capitularibus, ut toto anni tempore per mediarias, id est per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis Missæ, Matutino, et omnibus horis interesse valeant ita tamen ut diebus Dominicis et festis de præcepto, tempore Adventus, et Quadragesimæ, ac octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. J. Christi, ac Sanctissimi Corporis Christi ultra medietatem Capitularium, qui non erunt de servitio, Missæ et Vesperis inservire teneantur, » ut in lib. 49 Decr., pag. 311 et 312. Quæ resolutio in terminis refertur et confirmatur in alia « Castri Maris servitii chori, » in qua ad dubium: « An sit standum, vel recedendum a decisio in casu, » etc., ead. S. Congreg., die 30 Julii 1733, respondit: « In decisio, sed ex gratia indulgendum esse, ut inservire possit per mediarias, ad formam rescripti in Cathacen. servitii chori 5 Septemb. 1699. » Sic apud Theaur. Resolut. tom. 7, in d. Castri Maris servitii chori. Consimile Indultum concessum fuit dignitatibus et Canonicis collegiæ S. Mariæ Majoris in Tranen. in qua ad dubium: « An dignitatibus, et Canonicis collegiæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Baruli sit concedenda gratia inserviendi d. Ecclesiæ alternatim, et per hebdomadas in casu, » etc. ead. S. C. C. 22 Nov. 1738, respondit: « Affirmative cum solitis clausulis, » apud Theaur. Resol. t. VIII et sæpe idem alibi.

(105. Et quia Canonici et Beneficiati quandoque ultro progressi sunt petentes sibi impertiri Indultum inserviendi per mediariam, etiam diebus festis, annuendum non esse respondit Sacra Congregatio Concil. in una Civitatis Castellæ servitii chori, in qua ad dubium: An et quomodo Dignit. et Canonicorum precibus sit annuendum in casu, » etc., die 14 Jun. 1738, prodiit rescriptum: « Negative et serventur resolutiones dierum 30 Jan. et 17 April. 1728, et amplius. » Sic apud Theaurum Resolutionum t. VIII, in d. Civitatis Castellæ servitii chori, in qua prius proposita die 10 Mart. ejusdem anni 1728, afferuntur citatæ Resolutiones dierum 30 Jan. et 17 April. 1728. Vide ibi, ubi etiam alia ad rem. Et insuper in Rossanen. Servitii Chori, et distributionum quotidianarum, in qua ad dubia: 1. « An in omnibus diebus Dominicis, et festis dignitates, Canonici, et alii de Capitulo Missæ conventuali aliisque divinis officiis interesse debeant, vel potius eis liceat etiam prædictis diebus per quartariam inservire, per assistentiam nempe unius dignitatis, quinque canonicorum et sex presbyterorum? 2. An sit locus augmento distributionum, quomodo, et in qua summa: et quatenus affirmative. 3. An donec idem

dum, de consecrat., dist. 1 tum etiam Concilio provinciali Mediolanen. iv, part. II, tit. Quæ pertinent ad Sanctissimum Missæ Sacrificium et divina officia. (Tom. I Act. Eccl. Mediol., edit. ann. 1738, pag. 148.) (EDIT. VEN.)

augmentum non fuerit factum, teneantur omnes dictis diebus Dominicis, et festis choro, et Ecclesiæ interesse in casu, etc. » ead. Sac. Congr. Conc. die 1 Martii 1738 respondit « ad 1. Affirmative quoad secundam; ad 2. Habebitur ratio in casu recursus cum opportunis documentis; ad 3. Affirmative. » Sic apud Theaur. Resolut. t. VIII in d. Rossanen.

(106. Canonici et dignitates ubique ad psallendum tenentur, non obstante qualibet contraria consuetudine, aut præsumptis privilegiis. Benedictus XIV, tom. I Constit. 103, incip. Cum semper, § 25.

(107. Ex decreto Sac. Congreg. Rituum 2 Septembris 1741, in Aquen. Canonici non tenentur extra chorum ad psalmos graduales, pœnitentiales, officium B. M. V. et defunctorum, cum recitanda sint tantum in choro, ubi est consuetudo, et nequeunt Canonici ad illorum recitationem cogi, ubi recitari non consueverunt, ut decrevit Sac. Congr. Conc. in Montis Alti, 28 Septemb. 1754, in qua ad dubium: « An Canonici Ecclesiæ Cathedralis Montis Alti ultra horas canonicas teneantur quoque in choro recitare officium defunctorum, B. M. V., psalmos pœnitentiales, et graduales diebus in Breviario designatis, sive potius sit servanda consuetudo in casu, etc. » die et anno quo supra respondit: « Servandam esse consuetudinem. » Unde non est attendendum Decretum Congr. Episcoporum et Regular. in Alexandrina 18 Mart. 1587, prout mendose refertur a Crispino in *Visitat. Pastoral.*, part. 2, § 20, contrarium sentiens quoad officium B. M. V. cum in eo legatur tantum: « Canonicos debere hortari ad recitandum in choro officium B. V. diebus in Breviario præscriptis, non autem cogi, ubi non est solitum. »

(108. Cum ab antiquo et immemorabili tempore Canonici Ecclesiæ cathedralis Casalensis diebus Dominicis, aliisque festis infra annum occurrentibus, quando a musicis vespere decantantur, consueverint eo tempore in choro bini et bini vespere, et Completorium recitare, excitatum est dubium, an per eum modum recitandi Completorium satisfaciant Canonici muneri suo; pro cujus declaratione Episcopus Casalen. et Canonici prædicti ad Sacram Rit. Congregationem recursum habuerunt; et Sac. eadem Congregatio iis omnibus mature expensis, quæ in hanc rem deducta sunt, rescripsit: « Canonicos non satisfacere obligationi Chori recitando modo prædicto Completorium tempore, quo a musicis Vespere decantantur. »

(109. Ad rem placet adhuc e penu *Institutionum Ecclesiasticarum*. Benedict. XIV, proferre sequentia. Canonici, et Beneficiati tenentur ex jure ecclesiastico recitare officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere, Canonici vero cathedralium vel collegiatarum præstare id in choro tenentur. Institut. Eccl., 107, § 7.

(110. Nec solum tenentur assistere, sed etiam alta voce recitare, et associare cantum horarum canonicarum, nulla in contrarium

obstante consuetudine, ut ex dispositione Sac. Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de Reformat., evincitur. (111. Idcirco tenentur Canonici, et alii addicti choro cantum Gregorianum addiscere, ut in folio exhibitio Sac. Congregationi in causa Murana Mansionariæ, die 13 Novembris 1733, a Secretario ejusdem Congregat. demonstratur. Institut. Eccl. 107, § 16.

(112. In Tridentino quidem injunctum est, ut omnes « divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia, » sed ut censuit Sacra Congregatio, non est sublata Capitularibus facultas « sese invicem substituendi, dummodo substituens et substitutus eidem servitio adscripti non sint. » Caven dum est tamen ne nimis frequentes sint istæ substitutiones. (113. Non possunt uti hac facultate illi Canonici qui extra civitatem vel suburbia consistunt. Nec ea uti potest nisi Canonicus, vel Mansionarius, non vero Coadjutores eorum, ut ex pluribus decretis Sac. Congr.; ibid. § 17, 18.

(114. Si chorus Ecclesiæ efficiatur incommodus; puta hiemali tempore, potest adaptari eidem muneri præstando aliqua capella ejusdem Ecclesiæ, ut ex decreto Sac. Congr.; ibid. § 19.

(115. In ordine ad recitationem Horarum præfertur illa sententia quæ docet eos qui horis admiscunt jocos, risus, et cachinnos, etc., et confabulationes in choro, reos esse peccati gravis, et ad restitutionem teneri; ibid. § 25.

(116. In Decretali *Dolentes*, de Celebrat. Missar. pœna in eos, qui hæc similia agunt, suspensionis indicitur; hæc tamen suspensio est ferendæ, non latæ sententiæ, ut explicavit Honorius III, in c. 3, De vita et honest. Clericorum. inserto in quinta compilatione Decretalium edita a Cironio; ibid. § 29.

(117. Mos non muletandi Canonicos, nisi cum supervenerint in choro post absclatum primum nocturnum cum lectionibus, vel post sex priores psalmos in matutinis de feria, etiamsi consuetudo adsit, reprobatum a Sacra Congregatione Concilii in Interamnen. Visitationis die 24 Maii 1674; ibidem § 23.

(118. Missa conventualis, quanquam non veniat nomine horarum canonicarum, venit tamen nomine divini officii, quare si cathedralis et collegiatarum Canonici tenentur ad quotidianum officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem ejusdem Missæ; ibid. § 11.

(119. Immemorabilis consuetudo non excusat Canonicos cathedralium et collegiatarum insignium a residentia; bene tamen in collegiatis non insignibus et ruralibus, in quibus adeo tenues sunt redditus, ut Canonici aliunde non habentes unde vivant non habeant; ibidem § 2, ex decreto Sacre Congr.

(120. Absentia a choro per tres menses non intelligitur permissa a Tridentino, si Ecclesiæ Constitutiones servitium totius anni absque ulla intermissione requirant; qua in re nulla contraria consuetudo, etiam immemorabilis admittitur, ut censuit Sac. Congr. in suo decreto; ibid. § 34.

(121. Ad vacationem trium mensium concessam a Tridentino non requiritur licentia

Episcopi, si tamen intra dioccesim consistant; requiritur autem vicissim, si se ab illa absentent; petita tamen non debet ab Episcopo negari: ita ex decretis Sac. Congr.; ibid. § 36.

(122. Canonici vigore trimestris a Concilio Tridentino sibi concessi non possunt simul abesse a choro ultra tertiam partem uno et eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore Quadragesimæ, et Adventus, et in festis solemnioribus. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid. § 34.

(123. Pro absentibus habentur qui absunt ab Ecclesiæ servitio tot vicibus, ut præscripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Hinc Sacra Congregatio decidit plusquam trimestrem valere, ut censeantur absentes; nec approbavit illos qui calculum conficiebant ab hora ad horam, et non a die in diem. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid. § 32, 33.

(124. Absentes a servitio tempore vacationis non lucrantur distributiones quotidianas, nisi concessæ sint illis a Constitutionibus confirmatis a SS. Pontificibus ante concilium Tridentinum. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid.

(125. Canonici, qui abfuerint ultra trimestre, non sunt citandi, ut veniant ad servitium Ecclesiæ, qua in re differunt a Curatis non residentibus, qui ex Concilii præscripto citandi, vel admonendi sunt, ut contra illos procedatur. Vocandi sunt igitur Canonici, ut deducant causam, cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus juxta præscriptum Sac. Congr. Concilii. Ita ex Decreto Sac. Congr., ibid. § 37.

(126. Porro ut tunc procedatur ad privationem Canonici, præcedere debet trium annorum absentia, tum expediendæ sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur. Ita ex decretis Sacre Congregationis, ibidem.

(127. Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionem delictis, juxta dispositionem c. *Ex tua*, de Cleric. non resid. Quod etiam fieri potest inchoata jam via procedendi a concilio præscripta; attamen tunc pergendum non est ad sententiam privationis. Ita ex decreto Sac. Congr., ibid. § 38.

(128. Alia ad rem vid. verb. DISTRIBUTIONES.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(129. Residentia Canonice Ecclesiarum cathedralium et collegiarum non debet amplius regulari a statutis et consuetudinibus earundem Ecclesiarum, sed a concilio Tridentino, sess. 24, c. 2, de Reformat. quod injungendo Canonice onus residentie, contrariis omnibus consuetudinibus et statutis derogavit, ut aliis cumulatis firmavit Rota in Monasterien. Parochialis 16 Febr. 1748, § 6, coram Illustrissimo Migazzi, et 28 Junii ejusd. anni 1748, § 13, cor. bon. mem. Lana.

(130. At non omittendum est, Summum Pontificem Benedictum XIV, Institut. Eccl. 107, in principio n. 2, referre Pontificum

hoc decretum consilio Sac. Congr. Concil. Interpretis editum: « Sanctissimus Dominus etiam ex sententia S. C. Concil. declaravit immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus. In collegiatis autem non insignibus posse excusare, dum tamen sunt rurales, prorsus destitutæ, et in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset residere, aut quæ adeo tenuis redditus essent, ut Canonicos, aliunde non habentes unde vivant, alere non possent. »

(131. Questionis est, an Canonici, qui spatium plurium annorum, decem scilicet, viginti, triginta, etc. non resederunt, puniri queant privatione Canonice non servato ordine præscripto a concilio Tridentino cap. 12, sess. 24 de Reformat., de quo Auctor num. 23. Negavit Rota in Tudert. Servitiorum super privatione 17 Aprilis 1752, § 3, cor. bon. mem. Amadeo.

(132. De servitio quod Canonici præstare debent choro, tum de aliis de quibus agit Auctor, consule pro re nata mox dictum Summum Pontificem Benedictum XIV, dict. Institut. Eccl. 107, a § 1, ad finem.

ADDITIO CASINENSIS.

(133. Antiquitus quæstio erat inter doctores, num ad officium defunctorum et B. M. Virginis tenerentur extra chorum beneficiati. S. Thomas sensit omnino officium defunctorum omitti non posse a Canonicis et beneficiatis in quodlibet 6, quæst. 5, art. 8. Item affirmavit S. Antonius in III par., tit. 13, cap. 4, § 3, ab universis qui choro tenentur etiam extra chorum illud persolvi debere. S. Pius V vero tale onus ademit in sua Constitutione 64, his verbis: « Quod vero in rubricis nostri hujus officii præscribitur, quibus diebus officium B. M. Virginis, item defunctorum, item septem psalmos penitentiales, et graduales dici et psalli oportent, nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quid periculum ab ea præscriptione removendum duximus; verum debito providentiæ pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur ut remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua devotione ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, suffragiis et laudibus, suæ et aliorum salutis consulere studeant. Ac ut fidelium voluntas, ac studium magis etiam ad hanc salutarem consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri et Pauli apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus, illis ipsis diebus in rubricis præfinitis, beatæ Mariæ vel defunctorum officium dixerint, toties centum dies, qui vero septem psalmos, vel graduales quinquaginta de injecta ipsis penitentia relaxamus. » Et paulo post: « Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium parvum beatæ Mariæ semper Virginis in choro dici consueverat, ita ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa sancta, et laudabilis consuetudo celebrandi more solito prædictum officium. »

ARTICULUS VI.

Canonici, quoad associationem et assistentiam debitam episcopo.

(1. Canonici tenentur in eorum habitu canonicali accedere ad domum Episcopi, et illum associare ad Ecclesiam celebraturum, vel divina officia auditorum cum cappa accedere, et finito officio in reditu associare. Cæremonial. Episcop., c. 15, ibi: « Cum Episcopus rei divinæ peragenda causa ad Ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent Canonici omnes in eorum ecclesiastico et canonicali habitu appropinquante hora ad illum accedere, eundemque cappa indutum ex aula, sive camera, quam ad hoc destinavit ad Ecclesiam progredientem comitari et deducere; » et paulo inferius: « In redeundo idem ordo servetur. » Et sic etiam censuit Sac. Congreg. Rit. in Ragusina, 8 Martii 1617, et in Tarvisina, 10 Januarii 1719, et in Pisaurien., 22 Martii 1653. (2. Et ad hoc tenentur non solum ex urbanitate, sed ex debito. Sac. Rit. Congr. in Salamantina, 16 Julii 1605. (3. Etiam si domus non sit contigua Ecclesiæ, dummodo domus non multum distet. Eadem Sacra Congregatio Rituum in Oscen., 16 Maii 1601, et in Conimbrien., 6 Julii 1681. (4. Etiam si distet per spatium 60 passuum, qui habetur pro modico spatio. Eadem Sac. Congr. in Theatina, 14 Dec. 1602, et in Tiferaten., 5 Jul. 1603. (5. Etiam si distet per spatium 110 passuum. Eadem Sac. Congr. in Elven., 10 Januar. 1604. (6. Etiam si distet per spatium 160 passuum. Ead. Sac. Congregat. in Tarracinen., 20 Aug. 1622. (7. Imo Canonici tenentur accedere ad palatium Episcopi ad effectum eundem associandi ad Ecclesiam, non obstante distantia cathedralis 200 et ultra passuum. Sac. Rit. Congreg. in Turritana, 26 April. 1704, ad 6, ut refert Monacell., t. IV, in supplement. ad tertium tom., num. 193. (8. Si vero palatium Episcopi sit longe distans, debet associari ex aliquo loco ad hoc deputato prope Ecclesiam, vel Ecclesiæ ipsius atrio, aut scalis vicino. Eadem Sacra Congreg. in d. Oscens., 16 Maii 1601. (9. Ut Canonici in debita associatione Episcopi deesse non possint, et officia divina non turbentur, debet Episcopus certam horam sui adventus tempore congruo statuere et significare. Sac. Congregatio Rit. in Alboren. et Oscen., 16 Maii 1601, et in Placentina Compostellæ, 4 Julii 1615, in resp. ad primum dubium. (10. Et determinata ac stabilita cum Episcopo certa hora officii, si dato ultimo signo campanæ, non veniat Episcopus, possunt Canonici inchoare officium, etiam non expectato Episcopo. Eadem Congreg. in dicta Placentina in resp. ad quintum dubium, et in Salamantina, 16 Julii 1605. (11. Si Episcopus post inchoatum officium ad Ecclesiam descendat, tunc satis erit, si quatuor vel quinque Canonici obviam eant, et major pars Canonice in choro remaneat. Eadem Sac. Congregat. in d. Placentina in resp. ad primum dubium.

(12. Vel saltem duo ex Canonice tenentur ex choro discedere, et obviam ire Episcopo porrigentes aspersionem, ut eadem Sac. Congreg. censuit in Lunen. Sarzanen., 3 Martii 1633, his verbis: « Sac. Congr. Rit. censuit, quod Episcopo vententi ad Ecclesiam, dum in choro a Canonice recitantur horæ canonicæ, saltem duo ex Canonice teneantur a choro discedere, et obviam ire porrigentes aspersionem. » (13. Et idem si Episcopus venit eo tempore quo post decantatum Evangelium concio inchoatur. Eadem Sacra Congregatio in dicta Placent. in respons. ad secundum dubium. (14. Quod si finita concione, velit domum redire, nec pariter Canonice omnes debent deserere Missam, sed tantum tres vel quatuor Episcopum usque ad portam comitentur, et statim redeant. Eadem Cong. in dicta Placentina in respons. ad tertium dubium. (15. Sed si post finitam Missam velit discedere, nec expectare quod hora sexta recitetur, quæ de consuetudine Ecclesiæ immediate finita Missa cantari solet, Canonice omnes saltem usque ad portam Ecclesiæ comitentur. Eadem Sac. Congr. in Placentina in resp. ad quartum dubium. (16. Si vero discedat persolutis divinis officiis, tenentur illum associare usque extra portam Ecclesiæ, vel usque ad primum atrium domus Episcopi, quando domus est contigua Ecclesiæ. Eadem Sac. Congreg. in dicta Placentina in resp. ad sextum dubium; et in Pisaurien., 13 Septemb. 1646. (17. Episcopum associare, uti supra, tenentur etiam dignitates, licet Cæremoniale tantum Canonicos exprimat. S. C. R. in Perusina, 21 Aug. 1601.

(18. Canonice et dignitates non tenentur associare et reassociare Episcopum toties quoties accedit ad Ecclesiam et ab illa recedit, sed solum in solemnioribus diebus, quibus cum cappa ad celebrandum aut ad assistendum divinis officiis, vel ad pontificalia exercenda accedit. S. R. Congr. in Perusina, 26 Novembr. 1611, et in dicta Placentina in resp. ad primum dubium. (19. In cæteris vero diebus quibus Episcopus private sine cappa, vel ex alia causa ad Ecclesiam accedere voluerit, non tenentur, nisi ex voluntate et urbanitate hæc obsequia ei præstare, et satis est, si aliqui ex Canonice et dignitatibus ad ostium Ecclesiæ accurrant, cui dignior aspersionem cum aqua benedicta ministrare debet, et abeuntem similiter usque ad ostium comitentur. Eadem Sacra Rituum Congregatio in dicta Perusina, 20 Decembr. 1601; Brundusina, 2 Mart. 1603; Asculana, 16 Decembr. 1606; Ripana, 24 Octob. 1609; Sarzanen., 12 Mart. 1618; Tarvisina, 19 Januar. 1619; Sarnens., 30 Mart. 1619; Limana in Indiis, 29 Maii 1621. (20. Si autem exstet consuetudo quod Canonice soleant associare Episcopum a cubiculo, seu a camera deputata, quoties cum cappa accedit ad Ecclesiam ut celebret, et divinis officiis assistat etiam in Dominicis diebus, et aliis festivitatibus per annum, talis consuetudo servanda est. Sacra Congregat. Rit. in Ripana, 30 Januarii 1610. (21. Imo Cano-